

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Q.D.B.V. Collegium Homiletico-Practicum jussu  
Superiorum**

**Hölzlein, Johann Lorenz**

**Durlaci, 1717**

[urn:nbn:de:bsz:31-4197](#)

48

hep. inib. non autem tunc, sed auditio et audiri  
summis et elevatis vocis, et ratiocinationibus colla-  
eq. quod in omni facultate, in proprio doctri-  
nario, et in studiis suis, et in officiis

*Q. D. B. V.*

# COLLEGIUM HOMILETICO- PRACTICUM, jussu SUPERIORUM

Singulis imposterum Mercurii diebus hora  
post meridiem primā in Templo cœmeteriali  
instituendum

Nunc vero VII. Id. April. hora locoque eodem inchoandum,

*Auditoribus suis indicat*

*simulque*

*Ornatissimos S. S. Theologiae Studiosos*

*nec non*

*Ministerii Candidatos,*

ut eidem, quod Proceres statuunt, interesse velint

*humanissime invitat*

**JO. LAURENTIUS HÖLZLEIN,**

Consil. Eccles. Concion. Aulicus & Prof. Theol.

*D U R L A C I ,*

*Typis Theodori Hechtii, Typogr. Aul.*

(1717)

58

**N**icus ex omnibus est, qui soIus non didicit, quod  
alios docuit: sunt verba, *Lector Benevole!* celeberrimi  
istius ob eloquentiam, Mediolanensium Episcopi,  
quem Ambrosium salutari suevimus, satis quidem perspicua,  
nihilominus tamen gravia. Neminem enim fugit, quam  
gravi in dicendo suavitate, quam suavi in perorando gravi-  
tate, nunquam non valuerit Salvator, ita quidem, ut erudi-  
tum Linguae Magistrum eundem praedicare nullus dubitaverit  
Propheta, quin & ὁ εὐαγγελιστής concionatum esse, firmiter  
annuat Evangelista. De qua divina veritate hoc saltem ini-  
rari subit, facundum non didicisse, quae docuit, Oratorem.  
Verum enim vero, quicquid etiam Iudæi de Præceptore quo-  
dam sanctissimi nostri Nazaræi R. Josua ben-Perarchiæ, fabulari  
gaudeant, quicquid deniq; fabulis pariter, haud raro ober-  
rantes Pontificii, in informationis negotio, S. Mariæ Matri  
tribuere gestiant, utpote quam omnium bonarum artium A-  
cademiam & Gymnasium, Professoremq; Logicæ & Meta-  
physicæ constituere non erubescunt; totam tamen Deita-  
tis plenitudinem omnēsque sapientiæ thesauros in isto abscon-  
ditos fuisse, nequaquam contradicentibus locis, ubi sapientia  
crevisse dicitur, Concionator, satis satisq; constat. Quo sanè  
nostram in comparandis scientiis necessitatem, nostram in  
comparatis ignorantiam, manu, quod ajunt, palpare ducimur.  
Quantum enim id est, quod futurus Ecclesiæ Minister longos  
per vitæ años, vel ad solum concionandi officium, si respexe-  
ro, addiscendum habet? Quantum id est, quod etiamsi ex-  
antlato se comprobaverit examine, publicoq; admotus sit of-  
ficio, adhuc ignorare profitetur sapiens? Ut tritum istud quo  
omnem vitam scholam appellavit Philosophus, Theologo  
imprimis proprium esse videatur.

Quo intimius considerato, non ultima profectio **C A-  
R O L U M** nostrum Clementissimum deprædicandi causa,  
haud postremum curæ, quam Illustre istius Synedrium, de re-  
stituenda celeberrimi olim Gymnasii Durlacensis fama, quo-  
tidie suscipit, argumentum est, ubi *Collegium Homiletico-Prædi-  
cum*, Ministerii & Academiæ Candidatis, quotquot scilicet isto-  
rum vel jam vel futurò hic comorari continget, in Ædibus  
meditationi mortis consecratis, institui nunc, & porrò conti-  
nuari jussit clementissime.

Quid, quæso, Principi dignius? quid Ministris, quibus  
innititur, laudabilius? quid Patriæ, cui invigilant, utilius? nisi  
hoc, studiorum curam gerere, Musarum sedes protegere, & li-  
teratis regionem donare viris; quum & Politici saniores Scho-  
larum

larum faciem certissimam Rei publicæ imaginem agnoscere non dubitaverint. Accedit & hoc, Serenissimum CAROLUM, ordini singulis in rebus, nunquam non insistere, luculenter probans, quod laudabile istud institutum meis concredere partibus haud dcdignatus sit, qui Theologiam cum Morali Homileticam prælegere vocatus, à primis ferè incunabulis hoc studiorum delectatus genere, Lipsienses in eo celeberrimos, audivi magistros, & multos jam per annos modo ad milites, modo ad aulicos, modo ad cives, modo ad rusticos, modo ad oppidanos varii generis feci verba, concatenataque occupatus exercitatione, diversos edocui casus, ipsaq; edoctus praxi, quod nuda Theoria non statim patet, cautelas notavi plurimas. Sic enim omnino, practica uti loqui amant studia, per crebras actiones magis magisq; ad augmentur, minusq; foret congruum puro puto theoretico committere partes, quæ non nisi novis subinde observationibus exornandæ. Ut taceam haud parum adjuvare studiosos, quin & mira profectibus superaddere incrementa, præceptore in hoc studiorum studio duci, quem in præceptis non modo, sed vivo saepius exemplo audi-  
re datur facultas. Sunt verò, ut omnes R. Lectori explicem circumstantias, Auditores, quibus Collegio huic pratico interesse convenit, Studiosi non tantum, qui Gymnasio annumerantur, sed & isti, qui ex Academiis reduces Candidatorū veniunt nomine. Istos enim, etiamsi ad subeunda ejusmodi munia, vix satis idoneos credes, nec tamen prorsus abs re esse judicabis, superiores quandoq; cum Academicis educi in arenam, inferiores verò maturâ præparatione assuefieri ad altiora, quibus in omnibus viam sternunt, qui Academicis jam valedixerunt lectionibus, nostris inclusi mœnibus, polemicum pariter Excellentissimi Domini Eisenlohrii Theologi nostri primarii largo cum successu sibi applicant, quandoq; etiam è Cathedra publica Oratoris suscipiunt provinciam, quibus de singulis liberum certe est Illustri Consistorio vel disponere vel prospicere, ut methodo in nostris Ecclesiæ concionibus solenni, i.e. orthodoxa & perspicua, imbuantur simul, quo magis par est, superioribus uniuscujusq; dona vel externa vel interna constare intimius, ut quid de hoc & isto expectare queant, certis nitantur fundamentis. Quod facile eveniet, si Textus elaborandos primum juxta ordinem Articulorum in Systemate observatum suppeditare cœperimus, ad Theologiam deinde moralem descendere pergamus, & demum, Conclaves, ceu dicunt, Miscellaneas, diversis accommodatas casibus, conscribi suadeamus; nec tamen post habito circa

circum parentationes Oratorias; exercitio, cuius generis sermones III. Gymnasii civibus, nostra edocet instructione recitandos, quandoque committemus. Nostrum hic erit, attentis adesse auribus, Textus dispositionem, dispositionis explicationem, explicationis applicationem, applicationis amplificationem ad hermeneuticas examinare regulas, de stylo, phrasibus, earumque connexione, de pronunciatione et quae gestibus amicum ferre judicium, homileticos fideliter indicare nervos, [quis enim in omnibus perfectum se gloriabitur, nisi stultus?] opportunae emendationi tritam ostendere viam, & dispositionis semper superaddere variationes. At, si non nemo, vel impossibile vel prorsus absurdum esse opinetur, omnes Academicorum, qui vel Jena, vel Tbinga, vel Argentina, huc advolant, Homilias, sub unam candemque revocare incudem, sciat, quantumvis Lipsiensium methodum reliquis omnibus preferendam esse, viva doceamus quotidie experientia, Tyronibusque nostris vel Werneris pracepta, vel Gottlieb Pfeifferi Meditamenta [quod pietas erga praecatores, ipsaque rei dignitas merito postulare videtur] magnopere commendemus, animatum tamen mihi esse nequaquam, in hoc arduo studiorum negotio autoritatis militare praetudiciis, in unicum quempiam jurare, & saluberrima Theologorum, quos venerari par est, ubique locorum vivant, rejicere consilia, sed potius omnes me nervos in id intenrurum, ut quid Jenenses celeberrimus Stockius Tbingensis gravissimus Hochstetterus, Argentines Excellentissimus Pfefingerus vel literis vel verbis docuit, Lipsiensibus maxime conveniens ideoque multa cum industria retinendum esse explicem. Quod eo promptius praestare confido, quo plura, optimorum Homiletarum praecpta & possideo & repetita ruminazione usurpo. Nullus non circumstantiis sic rite ponderatis, videt, quantum ex hoc publico concionandi exercitio, ad studiosos et que ac Candidatos redundare possit emolumenti. Multum certe ad ditandos studiorum apparatus facit, Collegia ejusmodi practica in Academiis frequentare; ast tecum reputa B. L. & judica, num magis conducat ingenii multos & diversos audire Homiletas, diversamque diversorum praceptorum audire illustrationem, ac si unico saltu inhæreamus libello, uniusque tantummodo sequamur consilia? Inferiores musarum cultores hunc ad minimum consequuntur effectum, ut ad subsellia transeuntes Academica de tantis Theologorum, quos audire posthac vix iterum continget, laboribus, eodem facilius, quid in istis vel imitandum vel admirandum sit, judicare queant, aut scholas etiam homileticas, successu magis proficuo audire possint, de superioribus quae incrementa exinde habeant certo certius speranda, digitis jam computare supersedeo, quum ipsam rem & saniorum judicio & futuræ experientiae relinquere tutius sit, nec non satius. Euge! itaque studiosa III. Gymnasii juvenis; Euge, inquam, & non nisi osculis excipe devotissimis, qua, fortunam tuam clementissime fovet, Clementissimus Princeps, clementiam accipe, qua par est devotione, pias splendidissimi Consistorii, queis Te adjuvant, vigilias. Suscipe tandem fidelia Praceptorum consilia, neque vel praetudiciis à Philosopho longè alienis, vel pigritia à debito retineri obsequio patiare.

Age! Et Tu ornatissima Candidatorum societas, responde, quod decet; Serenissimi Tui Nutritoris, quem queris, mandato, Paternæ Promotorum voluntati, & amicæ, amici invitationi. Senties tandem aliquando, quantum huic debes exercitio, gravissimis à Theologis iterum iterumque commendato. Henori Tibi erit haud exiguo, occasionem, quæ studiis inservire potest Tui, arripere post hæc calvam. Facile non tantum, quod ad manus est, reprehendes opus, sed imposterum quoque; læta cum dilectione miraberis, quam levem Tibi in continua officii occupatione sternet viam. Adsit Deus Ter Optimus, Terque Maximus conatibus nostris, ut vergant in Sanctissimi nominis sui gloriam, vestrumque emolumentum.

Dabam e Museo ipsis April. Calend. A. O. R. MDCC XVII.

(\*)